
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
EXHIBENS
FEBRIS IRREGULARIS
HISTORIAM

AUTHORE
MATTHÆO STÖRCK
SUEVO SULGAVIENSI.



VINDOBONÆ,
TYPIS JOAN. THOMÆ DE TRATTNERN,
CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

1766.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3054516x

PROOEMIUM.

Morbus ſat gravis me impedivit, quo minus potuerim majorem, dignioremque, in qua quidem jam multum elaboravi, diſſertationem hoc anno ſcholaſtico ad finem perducere.

Arripui igitur eundem morbum, & ejus hiſtoriam diſſertationis in locum deſcripſi.

Nec ingratum hoc condiſcipulis meis opuſculum credo, cum ſimplicem ſymptomatum enarrationem, morbique ſimpliciſſimam

curationem, qualem jubet Hippocrates, contineat.

Quod autem ex difficili hoc morbo evaſerim, & jam integre valeam, debeo curæ, & firmæ experientiæ expertiſſimi Henrici Collin.

Vi-

DE

FEBRI IRREGULARI.

Vigeſima ſecunda Junii hujus anni ſpontanea laſſitudine, præter cauſam mihi notam, veſpertino tempore correptus ſum; dein febricitare cœpi, multumque ſitivi; nec non anxietatem, & calorem urentem ſub ſterni longitudine ſenſi, quandoque remittentem.

Nox inde minus quieta fuit.

Mane me ſatis bene habui, & labores ſolitos peragere potui; veſperi au-

tem eadem iterum ſymptomata recruduerunt, turbaruntque noctem.

Cum tamen adeo vehementia non ſent, nec me ab officio meo impedirent, nullum adhibui remedium, unde rem in principio neglexi, & morbum fovi usque ad vigeſimum quintum Junii.

Ubi poſt validiorem corporis motum vires amiſi, ſenſique veſperi majorem febrim, & ſitim multam, & nox erat inquieta.

Nihilominus cum matutino tempore mihi vires adhuc ſufficientes crediderim, adivi (quamvis magna cum difficultate, & anxio reſpirio) hortum botanicum, ne ibi collegium publicum negligerem; etenim huic ſtudio peculiari diligentia me hoc anno applicui.

Inde autem malum valde eſt exacerbatum, & languebam plurimum, anxius fui, & afficiebar magna ſiti.

Ro-

Rogavi tunc expert. Henricum Collin, ſub cujus auſpicio noſocomii Pazmariani ægros fere quotidie inviſebam, ut mihi conſuleret.

Is cum oculos, faciemque plus ſolito rubere obſervaret, cutim ſiccam, pulſum febrilem, & ſubdurum, illico juſſit venam ſecari, & dedit potum copioſum, reſolventem, refrigerantem.

Unde cutis perſpirabilis reddita eſt, febris minor, pulſus mollior; anxietas, & ardor quoque remiſerunt.

Verum appetitus delebatur penitus, & vires ſunt proſtratæ.

Alvus hac die bis ſolvebatur, & prodiit urina copioſa, non multum a naturali abludens.

Sanguis autem e vena eductus erat rutilus, nulla cruſta tectus.

Veſpertino tempore omnia in pejus mutabantur; nec præ debilitate corpus erigere potui.

Febris fuit valida, anxietas ſumma, & pectoris ardor ingens, capitis dolor fere intolerabilis, ſitis admodum magna, calor urens; oculi ſanguine infarcti ex orbita protuberabant.

Expert. COLLIN me adhuc ſera veſpera inviſit, & juſſit illico venæ ſectionem iterari, & præſcripſit ſequens remedium.

℞. Flor. ſamb.
— verbaſc.
— rhæad. ana. M. j.
infunde cum aq. q. ſ. per ½ hor.
vaſe clauſo
colat. lib. I. ß
adde
Lapid. prunell. dr. I. ß
ſpirit. nit. dulc. gtt. XX.
ſyrup. alth. unc. I. ß
M.

S. Omni bihorio ſumantur unciæ quatuor.

Præ-

Præter hoc hauſi multum emulſum, vel aquam cum ſucco limoniorum.

Unde nox reliqua ſatis pacata fuit.

Vigeſima ſeptima mane tamen erat febris æque vehemens; verum anxietas paulo minor, nec tantus ardor in pectore, nec caput adeo doluit.

Sed ſitis toto die perſiſtebat ingens, & appetitus plane proſtratus.

Alvum pluries liquidam fœtidiſſimam dejeci, cutis manſit ſicca.

Iiſdem remediis uti continuavi, infuſo ſolummodo aliquot guttæ ſpiritus ſulphuris per campanam adjectæ ſunt.

Verſus veſperas omnia iterum exacerbata ſunt; acceſſit delirium, & nox fuit inſomnis.

Sudavi multum, & præterea ſenſi vagos, & moleſtiſſimos horrores, alvus quater prodiit fœtidiſſima, bilioſa.

Vigeſima octava Junii inveniebatur pulſus admodum inæqualis, & celer, anxietas adhuc magna, oculi ſplendentes, tenſi; alvus iterum aliquoties dejecta eſt, & nox iterum inquieta fuit, & inſomnis.

Plantis pedum applicata ſunt epiſpaſtica, ceteroquin priori medicamento continuatum fuit.

Vigeſima nona Junii mane gaudebam, quod febris eſſet moderatior, capitis dolor multum imminutus, pectus magis liberum, os minus amarum. Urina tamen manſit cruda, & alvi dejectiones erant admodum moleſtæ, frequentes, unde valde debilitatus fui.

Has ut mitiores redderet, non tamen ſupprimeret penitus, quum ſalutares videbantur, præſcripſit expert. COLLIN ſequens decoctum.

℞. Rad. ſalab. unc. β
conſciſſ. coq. per $\frac{1}{4}$ hor. cum
aq. q. ſ. colat. lib. ij.
adde
nit. pur. ſcrup. ij.
ſpirit. nit. dulc. gtt. xxx.
ſyrup. diacod. unc. ij.

M. Sumantur omni hora unciæ duæ.

Alvi fluxus mox inde levior fuit.

Aſt febris longe major iterum orta eſt, caput vehementer doluit, fui anxius, & vix corpus præ debilitate movere potui.

Hinc cum præcedentibus diebus obſervatum fuiſſet, omni veſperi determinata fere hora febris exacerbationem quotidie rediiſſe, concluſum eſt, mihi exhibere corticem peruvianum.

Quem in principio ferre non potui; etenim vix aſſumtum iterum maxima cum anxietate rejeci; imo ejus odor mihi jam vomendi conatus excitavit.

Ro-

Rogavi propterea, ut prius decoctum ſolum denuo mihi daretur.

Contigit vero hac adhuc die metaſtaſis a materia morboſa, non obſtantibus copioſis, & frequentibus alvi dejectionibus ad hypochondrium ſiniſtrum.

Tumor ibi transverſaliter oblongus, duriſſimus, cum coſtis ſpuriis ſubtus quaſi conatus, totum fere hypochondrium elevans comparuit.

Qui tamen in medendi ratione nil mutavit; cum expert. COLLIN judicaſſet, ſimili decocto omni indicationi ſatis fieri.

Externe nil applicatum fuit ſupra hoc tumore, ne materies depoſita ad hunc locum nimis cito moveretur ulterius, & fors partem nobiliorem obſideret.

Orto hoc tumore ſat tranquille me habui, & alvum adhuc depoſui pultaceam.

Ve-

Verum nocte accedente ruebant iterum omnia in pejus.

Febris plurimum increvit, reſpiratio evaſit difficillima, lingua cruſta fuſca, ſicca obducebatur, & cutis tota arida facta eſt.

Deliravi tota nocte, & ter alvum dimiſi fœtidiſſimam, & urentem adeo, ut moleſtiſſimum teneſmum excitaverit.

Mane tamen per bihorium ſat tranquille dormivi, copioſe ſudavi, & tunc ſymptomata erant paulo mitiora, & tumor hypochondrii erat mollior, minor, & tenſio abdominis plurimum evanuit.

Verum cum nox præcedens adeo inquieta, & moleſta fuit, cumque vires adeo fuerint debiles, ſpem fere totam redituræ ſanitatis amiſi, præſertim, ſi talis iterum noctu paroxyſmus rediret.

Quare vehementer rogavi expert. Collin, ut corticem peruvianum mihi iterum porrigeret.

Is tunc juſſit, ut præter prius decoctum omni ſesquihora drachmam dimidiam corticis peruviani aſſumerem; ſed paulo poſt omnia in pejus mutata ſunt.

Recruduit diarrhoea, ſubortus eſt ſudor multus, tenax, oculi triſtes, humidi reddebantur, & tandem delirium, tuſſisque ſicca, frequens acceſſere; reſpiratio fiebat celeris, pulſus tamen fuit fortior, & magis æqualis, quam erat diebus præcedentibus.

Uſus corticis propterea interruptus non eſt.

Nox iterum fuit maxime inquieta, & turbata inſomniis, & tuſſi vehementi, dolentiſſima, delirium continuum.

Prima Julii mane omnia ſymptomata aliquantiſper remiſerunt, alvi dejectiones

nes erant rariores, delirium non ita continuum.

Quare iiſdem medicamentis, ac præcedenti die, uſus ſum.

Unde nox inſequens multo mitior fuit, & delirium diſparuit penitus.

Secunda Julii me invaſit tuſſis irrita, frequens, moleſtiſſima, ortus eſt ſub oſſe ſterni ardor ingens, & totum pectus acutiſſimo dolore occupabatur.

Attamen tumor, & durities in hypochondrio abiverunt penitus, & erant omnia mollia, naturalia.

Sed pulſus erat inæqualis, cutis ſicca, lingua arida, & alvus bilioſa, fœtida, & turbabatur urina cum craſſo ſedimento, quæ ab initio morbi hucuſque ſemper fuit crudiſſima.

Sumſi hac die binos tantum corticis peruviani pulviſculos, verum largiter hauſi ſequens decoctum.

℞. rad. alth. unc. ß

ſo-

folior. alth. M. i. β
coq. per ¼ hor. cum aq. q. ſ. dein
adde
florum verbaſc.
——— rhæad. ana M. β
rad. fœnicul. dr. vi.
relinque in calid. digeſt. per ½ hor.
vaſe clauſo colat. unc. xx.
adde
Nit. ſtib. gr. XL.
Syrup. capil. vener. unc. ij. dabatur præterea linctus.

℞. Mucilag. rad. alth. aq. roſ. extract. unc. ij.
Syrup. papav. alb. unc. i. β.
M.

Pulſus hac die fere omni momento erat alius, modo fuit fortis, modo debilis, & ſemper inæqualis, ſubinde plane intermittens.

Et alvus fluxit nimium, orta ſunt tormina admodum dolentia, & teneſmus

neſmus moleſtiſſimus, ideo injectum eſt ſequens enema.

℞. Ol. lin. unc. v.
laud. pur. gr. i.
M.

Quo dolores paulo poſt ſedati ſunt.

Urinam tunc iterum miſi crudam, copioſam, limpidam, & calorem admodum urentem per totum corpus ſenſi.

Circa decimam veſpertinam plurimum deliravi, & pulſus erat celerrimus, inæqualis, debilis, reſpiratio anxia, difficilis, ſitis maxima.

Hinc duo veſicantia ſuris ſunt appoſita.

Nox nihilominus præter ſpem ſat tranquilla erat, & per quinque horas variis intervallis dormivi.

Tertia Julii minus deliravi, veſicantia optime operata ſunt, ſed alvum ter

inſcius in lectum dejeci, pulſus tamen reddebatur liberior, major, vix non æqualis, tuſſi ſubinde ſputa glutinoſa tenaciſſima ejiciebantur, ſitis aderat maxima.

Præſcribebatur ſequens remedium.

℞. rad. alth. unc. β
fol. alth. M. I. β
ſciſs. coq. per $\frac{1}{4}$ hor. c. aq. q. ſ. dein
adde
fol. hed. terreſt. M. I.
rad. fœnicul. dr. VI.
flor. rhæad. M. β.

Relinque in blanda digeſtione per $\frac{1}{2}$ hor. vaſe clauſo colat. unc. XX.

adde
Nit. ſtib. dr. β
ſyrup. de hyſop.
——— papav. alb. ana. unc. I.

His cœperunt ſputa glutinoſa multa prodire, facta eſt reſpiratio facilior, minutus eſt alvi fluxus.

Nox

Nox tamen fuit valde inquieta.

Et quarta Julii febris, & delirium continuarunt, & ambo hypochondria erant tenſa, dura, ad cordis ſcrobiculum percipiebatur dolor ingens, acutus, pulſans, tuſſis fuit frequens, ſputum autem craſſius, magisque coctum ſubinde prodiit, quod levamen dedit.

Continuavi eodem uti remedio, præter parcam corticis peruviani doſin.

Circa meridiem tuſſi moleſtiſſima educebantur ſputa magis cocta, copioſiora, cutis cœpit madere, alvus bis ſoluta eſt, urina fuit craſſa, & pulſus magis æqualis.

Nox tamen iterum inſomnis fuit, & valde inquieta.

Quinta Julii urinam rufam copioſam, craſſam miſi, alvum hac die nullam habui, & me paulo magis liberum ſenſi, ac die præcedente.

Nox erat paulo melior.

Sexta Julii pulſus fuit liber, æqualis, & capitis dolor, per totum morbi tempus durans, evanuit, & delirium integre diſparuit, reſpiratio fiebat facilior, cutis humida, ſputa erant alba, puriformia, optime cocta, quæ magna facilitate ejiciebantur.

Poſt meridiem ſexies alvum pultaceam, flavam, multam depoſui.

Veſperi vero prodiit alvus copioſiſſima, aquoſa, unde plurimum debilitatus fui.

Datum igitur mihi fuit hora nona veſpertina emulſum cum guttis octo laud. liq. Sydenhami, quod mox omnes turbas ſedavit, & ſequebatur ſomnus quinque horarum, ſudavi per totum corpus æqualiter, & inde vires multas recuperavi.

Sep-

Septima Julii eram longe alacrior, & reperiebatur exanthema miliare in pectore, collo, & hypochondriis.

Sputa cocta facile prodire continuabant, & alvus bis depoſita eſt, multum ſudavi, & tota nocte bene dormivi.

Octava Julii tota die adhuc copioſus ſudor obſervabatur, licet unico, & levi tegmine tantum tectus eſſem, unde plurimæ miliarium puſtulæ difflatæ ſunt, relicto pruritu per totum corpus.

Nox iterum tranquilla fuit.

Nona Julii pulſus erat bonus, reſpiratio melior, & totum abdomen molle, ſputa bene cocta, copioſa exſcreata ſunt, alvus cocta pluries exonerabatur.

Hac ratione omnia quotidie in melius mutabantur, rediit ſomnus, inſurrexerunt vires, & ceſſavit ſenſim ſputum.

Verum quum appetitus adhuc languereт, dedit expert. COLLIN purgans lene.

Unde cœpi appetere, & integre convalui.

Ultimis diebus præter decoctum ultimum nullo alio uſus ſum remedio.

THESES.

I.

Non datur in rerum natura medicamentum univerſale.

II.

Idem nomine morbus debet ſæpe diverſa methodo curari.

III.

Venæ ſectio in morbis acutis ſæpe prodeſt, ſæpe autem plurimum nocet.

IV.

Et ut recte inſtituatur in morbis acutis venæ ſectio, non eſt habenda ratio dierum, verum ſymptomata reſpicienda ſunt.

V.

Dum in morbis acutis natura vires ſufficientes habet, ea medicamentis ſtimulanda non eſt, licet morbus ſolito diutius duret, his enim naturæ opus turbatur.

VI.

In morbis acutis regiminis ratio eſt maximi facienda.

VII.

Dum natura viam monſtrat, per quam morbi materies eſſet evacuanda, non tamen ad id præſtandum ſola ſufficit, tunc aptis medicamentis debet adjuvari, hinc, ut quis felix ſit in curandis morbis acutis, debet exactus eſſe in obſervanda natura, ne eam in contrarium cogat.

VIII.

Emetica, aut purgantia ſecundum rationem in principio acutorum exhibita ſæpe plurimum conducunt.

IX.

Poſſunt autem etiam maxime obeſſe, & ſæpe lethalem reddere morbum, dum ſine diſcrimine & indicatione porriguntur.

X.

Cortex peruvianus in morbis mali-

gnis

gnis putridis ſubinde ſummæ efficaciæ eſt, & ſæpe unica ſalutis anchora.

XI.

Hoc tamen quandoque iisdem in morbis ſunt præſtantiora acida mineralia.

XII.

Præſagium in morbis acutis plerumque eſt incertum.

XIII.

Sæpe dicuntur morbi contagioſi, quales non ſunt; nam licet multi eodem prorſus morbo decumbant, non propterea dicendus eſt morbus contagioſus; eſt error inter populum communis, qui ſæpe nocet, & toti regioni terrorem panicum injicit, & interrumpit humanum commercium.

XIV.

Morbi contagio non afficiuntur, niſi ii, qui ad id ſuſcipiendum quandam in corpore ſuo prædiſpoſitionem habent.

XV.

XV.

Cachectici aut quadam viſceris labe affecti contagioſis morbis minus afficiuntur, ac ii, qui ſanitatis vegetæ, & robuſtæ ſunt, & ſanguine abundant.

XVI.

Morbi contagioſi pecorum non communicantur hominibus.

XVII.

Unde mortuorum pecorum pelles licet in humanum uſum parare, applicare.